

Disputatio inauguralis medica de abortu ... / [Georg Christoph Habermass].

Contributors

Habermass, Georg Christoph, active 1687-1690.
Vesti, Justus, 1651-1715.
Universität Erfurt.

Publication/Creation

Erfordiae : Typis Johann-Henrici Groschii, [1690]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jtrgwmcx>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

A. D.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

ABORTU,

Quam

INDULTU

RATIOSISSIMÆ ac ILLUSTRIS FACULTATIS MEDICÆ
IN PERANTIQUA ELECTORALI GERANA

Sub PRÆSIDIO

VIRI Nobilissimi, Excellentissimi atq; Experientissimi

DN. JUSTI VESTI,

Med. Doct. Anatom. Chirurg. ac Botan. P. P. Cele-

berrimi, Facultatis MEDICÆ Assessoris gravissimi,

h. t. DECANI spectatissimi,

PATRONI, PROMOTORIS ac HOSPITIS

ad cineres usque colendi,

PRO

LICENTIA

ac Summis in ARTE MEDICA HONORIBUS

& PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS obtinendis,

Solenni Eruditorum Examini submittit

GEORGIUS CHRISTOPHO-

RUS Tabernas /

Weissenfels. Misnic.

IN AUDITORIO MAIORI

H. L. Q. C.

d. 3. Junij Anno M. DC. XC.

ERFORDIÆ, Typis Johann-Henrici Groschij.

DISPUTATIO INAGURALIS MEDICA

DE

ABORTU

Q. J. J.

INSTITUTUM

ANATOMIAE ET PHYSIOLOGIAE MEDICAE

IN UNIVERSITATE MEDICA BEROLINENSIS

AB ANNO 1800

MDCCCXXXIII

DR. J. J. J.

DR. J. J. J.

DR. J. J. J.

DR. J. J. J.

DR. J. J. J.

DR. J. J. J.

DR. J. J. J.

LICENTIA

CONFERENTIA

CONFERENTIA

CONFERENTIA

CONFERENTIA

CONFERENTIA

CONFERENTIA

CONFERENTIA

CONFERENTIA

CONFERENTIA

CONFERENTIA

PRÆLOQVIUM.

Sunt certè quàm plurimi sequioris sexus morbi, à quibus viri deprehenduntur omninò immunes; non dicam de menstruo fluxu, aliàs tædioso satis, quippe qui, cum ceteroquin perfectè sanis conveniat ex ordine naturæ, non minus naturalis esse foeminis videtur, quàm excretio urinæ, fœcum alvinarum &c. saltem si, quæ gestationis tempore gravidis accidunt, advertimus, variæ occurrunt calamitates, non molestæ tantum, sed & periculosæ, matri pariter atque soboli. Hâc vice sufficiat, loco Disputationis inauguralis, considerasse ABORTUM, tam frequens mulieribus malum, imò & quibusdam adeò habituale, ut exinde turpem quoque sterilitatis notam contrahant non paucæ. Faxit Æternum Numen, cujus Gratiøsæ directioni omnia mea studia unicè committo, ut hic quoque conatus vergat in ejusdem divini Nominis Gloriam, pluriumque salutem!



BORTUS vocabulo procul dubio vox aboriri originem dedit, videturq; Abortus ita dictus quasi frustra vel per errorem ortus, quem admodum aliàs absonum, v. g. sonus est concentu harmonico alienus; item abusus quem in usu rerum legitimo committimus, error.

§. 2. Hippocrati olim $\Phi\theta\omicron\rho\alpha$ vel $\alpha\pi\omicron\Phi\theta\omicron\rho\alpha$ aut $\delta\iota\alpha\Phi\theta\omicron\rho\alpha$, aliis Græcorum appellabatur $\alpha\mu\beta\lambda\omega\sigma\iota\varsigma$; Nostratibus: Es gehet der Frau unrichtig vel etiam Eine unzeitige Geburth.

§. 3. Est autem duplex Abortus significatio; aut enim matri tribuitur, innuitqve actum intempestivi partus: aut proli, & indicat fœtum ipsum maturè nimis exclusum.

§. 4. Priori sensu acipitur hoc in loco, unde non inconueniens erit, si Abortum definiamus per *ejectionem imperfecti fœtus*, vel quod proinde est, *per intempestivam fœtus immaturi exclusionem*.

§. 5. Nimirum genere convenit cum partu Abortus siquidem utroqve in casu ejicit vel excludit fœmina, quo utero gestavit. Unde in Abortu quoqve ultimis præsertim in gravidationis mensibus, conatus doloresque similimi sunt ijs, quos puerpera in legitimo partu sustinet.

§. 6. Ast differentiam satis notabilem suggerit fœtus quippe qui ad debitam perfectionem non pervenit, sed quasi adhuc immaturus expellitur in Abortu.

§. 7. Equidem *Aristot. lib. 7. de histor. animal.* tres constituit terminos in gravidis probè distingvendos. Primus absolvitur septem à conceptu diebus, & quæ interea

contingit jactura, vocatur ἐκρυσις; secundus extendit se ad quadragesimum, tuncque ἐκτρωσις nominatur embryonis deperditio: Tertius à quadragesimo ad legitimam, usque partus horam excurrit, quo tempore ἀποφθορά proprie locum habet.

§. 8. Ad ejus imitationem latinè alij dixerunt *effluxionem*, quæ primis diebus: *aborsum*, qui primis mensibus: *Abortum*, qui ultimis mensibus fit corruptio. vid. Ludov. Bonacioli *Enn. Muliebr. c. 6.*

§. 9. Plerique verò abòrsum & abortum vel abortionem pro uno eodemque habent; effluxionem tamen ab illo distinctam volunt. Ita sentit *Ambrosius Paræus de Hom. Generat. cap. 30.* Aliud Abortio, inquit, aliud Effluxio est. Abortionem vocant fœtus jam formati & vitalis præcipitatum ante maturitatis tempus exclusionem: Effluxionem verò seminum commixtorum & jam per aliquot dies coagulatorum dilapsum, membranarum & concreti sanguinis ac informis carnis quâdam specie, obstetrices nostrates *Falsum Germen* appellant.

§. 10. Et sunt aliquæ, ut cum *Sennerto* loquar, *Abortus temporis & magnitudinis fœtus ratione differentis.* Aliquando enim quod ejicitur, parvum planè est & globosum, instar uvæ acini, ut in eo caput, brachia, crura, vix à trunco discerni possint, quæle quid primis statim diebus ejicitur: interdum quod ejicitur, digiti longitudinem æquat, interdum bithamæ longitudine imperfectus ejicitur: interdum abortivum non multum à perfectione abest.

§. 11. Interim tamen nil impedit, quo minus sub eodem abortus titulo complectamur omnem partum, qui ante legitimum tempus accidit; præsertim cum nomen effluxio-

nis non tam informis massæ , quam liquoris seminalis , utpotè magis fluidi excretionem innuat.

§. 12. Sanè definitus certusque pariendi terminus , uti reliquis animalibus , ita homini quoque à Creatore præfixus est. Et quidem triginta novem septimanæ , sive novem menses ordinariè ad humani foetus in utero formationem requiruntur, quo elapso temporis spatio justus ac naturalis instat partus. Sicuti vero præter naturam nonnunquam diutius , quam par est protrahitur terminus in partu retardato : ita frequentius longè acceleratur in Abortu.

§. 13. Saltem dubium erit, quid sentiendum de ijs , qui septimo vel octavo mense , aut etiam circa initium noni nascuntur. Non me latet, olim septimestrem partum pro vitali, sed octimestrem non æque fuisse habitum; quid verò de hac controversia judicandum sit , videri potest in *Excellent. Ammanni Irenico pag. 68. & sequentibus.*

§. 14. Ita mihi videtur, multos haberi pro septimestribus aut octimestribus , qui tamen reverà tales non sunt. Quid, si enim matris vel ignorantia vel nequitia seducat patrem? utpotè qui minus de puncto conceptionis certus esse valet. Nam ad eundem modum decipitur Medicus, non aliunde, quam ex relatione securus.

§. 15. Attamen posito, foetus verè septimestrem supervivere, quid tum censendum? Respondeo distinguendo inter forum JCTorum & Medicorum. Sit ita, partum septimestrem dici legitimum intuitu hæreditatis , aliusve juris competentis ; nondum tamen sequitur , ergò & legitimus est stylo Medico , i. e. legitimo natus tempore. Quid ob-

stat

stat abortum superesse? Quam enim in utero expectare non potuit perfectionem à Natura robustiore nanciscitur, postquam è matris sinu prodijt; prout e. g. non rarum est, pyra, pomaque suam demum impetrare maturitatem, quando ab arbore divulsa & aliquandiu asservata fuerunt.

§. 16. Sed transeat litigium hocce omninò vanum, potius progredior ad examen causarum, quibus abortus excitari solet; his enim probè perspectis, non amplius obscurum erit, quale gravidarum regimen tenendum, quo minus perdatur embryo.

§. 17. Nec vero suâ, sed matris culpâ expellitur foetus; siquidem ad mentem Galenicorum, irritata uteri expultrix facultas, vel quod idem est, uterus impatiens, ubique causa existit abortus proxima, quatenus non sponte suâ elabitur, sed conatu motuque uteri proprio ejicitur partus in-tempestivus.

§. 18. Quæ autem sub titulo causarum remotiorum veniunt, plurima sunt; multis namque modis irritari uterus ad abortum potest. Ut qualiscunque tamen earum, ordo sit, lubet illas revocare ad tres classes; scilicet ad vitia spirituum, humorum & partium solidarum.

§. 19. Primum quidem vitio spirituum contingit abortus vel propter defectum vel propter commotionem illorum nimiam. Defectus spirituum si gravidæ accadat ab inedia & vigilijs diuturnis, vel à morbo quodam vires deperadante, mirum non est, embryonem perire; id enim commercium præ oviparis omnes in genere viviparæ habent, quod foetui suo commune cum matre largiantur & alimentum atque, ut sic dicam, vitam. Itaque quicquid spi-ritus

ritus sive vires gravidarum destruit, illud foetum quoque debilitat notabiliter, necatque, si defectus fuerit enormis.

§. 20. Quid frequentius est, quam ab Ira, Terrore, Mœrore anxio, similique spirituum commotione abortum fieri? Scilicet, dum huiusmodi animi affectu spiritus turbantur materni, necesse est, vel eosdem avocari ab utero, vel eundem irritare, vel in consensum rapere spiritus embryonis. Dum avocantur, infirmus deseritur foetus, levi superveniente causâ intereundus; dum irritant uterum ejusque motum vehementiorem excitant, non potest non abortus subsequi: ubi vero spiritus tenelli corporis simul exagitantur, accidunt ut plurimum motus convulsivi, aut lethales ilicò, aut certè post partum etiam habituales, datâ quacunque occasione, recrudescentes.

§. 21. Deinceps vitio humorum & in specie sanguinis materni sequitur abortus, triplici ex capite, videlicet si abundantior sit & foetum suffocet; si parcius sit & insufficiens ad nutritionem foetus: si corruptus sit & cacochymicus, adeoque minus nutritioni aptus.

§. 22. Sane Plethora gravidarum non semel foetum extinguere visa est. Quod si enim in adultis & robustioribus tam varium inde malum nascitur; multo magis periculosa pusillo erit, cujus corculum ad propulsandum sanguinem, undique restagnantem, nullatenus sufficit.

§. 23. E contrario si sanguis deficiat, contabescit foetus moriturque ob alimenti penuriam. Itaque ab Hæmorrhagia insigni præcipuè uterina id fieri crebrius solet. Nam & per fortiora emmenagoga, qualia sunt *Sabina*, *Myrrha*, *Castoreum*, *Camphora*, similiaque abortum excitari, nemin

arbitror ignotum. Huc refer radicem *Filicis*, quæ assumpta non foetum tantum ejicit, sed & sterilitatem penitus infert, ac proinde *Huhren Wurß* quibusdam dicta, notante *Joh. Hisk. Cardilucio in Offic. Sanit. pag. 772.*

§. 24. Quid foëminarum Cacochymia valeat, si scilicet universam sanguinis massam pravi corrumpant humores, id quidem quotidiana loquitur experientia. Et quemadmodum istiusmodi subjecta per consuetam purgationem menstruatam tantisper levantur: ita & hæc suppressa, non desinunt eosdem humores vitiosos ad uterum amandare. Quantum verò embryoni damnum hinc enascatur, nemo non intelligit. Ut taceam, morbos è tali cacochymia natos, quicumque illi fuerint, non tam à foetu superari facile, quam à matre magis robusta.

§. Tandem sub vitio partium solidarum intelligo ipsius uteri affectus, siue hi per essentiam, seu per consensum tales fuerint. Secundum *Galenum* tres causæ sunt, uterum proximè afficientes, *moles* nimirum, *pondus* ac *morsus*. *Moles*, ubi amplius distendi uterus nequit, sed propter angustiam foetum grandiore non tolerat. *Pondus*, cum, quod in utero continetur, ejus vires gravitate sua nimium superat. *Morsus* ab acrim humorum in uteri cavitatem effusorum vellicatione oritur, unde ad ejectionem ejus, quod molestum est, irritantur fibræ.

§. 26. Clarius; in antecedentibus asserui, causam abortus proximam esse uterum impatientem, à quo foetus exellatur: Quicquid ergo uterum immediatè stimulat ad abortus ejectionem intempestivam, abortus causa antecedens vocatur. Inter hæc autem sunt quæ immediatè uterum

rerum afficiunt, sunt item alia, quæ foetum potius adeoque saltem consequenter & mediâtè uterum attingunt, quæ nomine causerum remotarum veniunt. De his, quæ foetum extinguunt aut inquietum reddunt, ac eatenus abortum faciunt, satis jam dictum; restat igitur ut nunc quoque videamus, quæ uterum immediâtè feriunt.

§. 27. Horum autem alia hærent in uteri cavo; alia, saltem extra adveniunt: Quas itaque *Galenus* recenset abortus causas, molem scilicet, pondus, morsumque, in ipsa uteri cavitate hærent. Intelligitur autem sub mole non tantum magnitudo foetus, præsertim gemellorum, ad quam capiendam uterus nonnunquam inhabilis est, sed & mola præter naturam inibi nata, sive unica fuerit major, seu multiplex. Præterquam enim quod non parum alimenti convertat in sui incrementum, & vel ipso pondere molesta sit mola; saltem dubium non est, quin embryoni eatenus quoque noceat, quatenus spatium occupat eidem debitum, in cuius defectu, nec formari aut enutrirî, nec moveri commodè potest *Confer. Bartholini Cent. 3. hist. Anatom. 1. Tb. Kerkringij Spicileg. Anat. Obs. 38. & 95. aliosq.*

§. 28. Pondus tunc præcipuè à gravidis observatur, quando vel mola major vel foetus mortuus in utero residet. Si cut enim cadavera & quæ morti proxima sunt, ab omnibus habentur pro gravioribus: ita profecto tantam non foemina sentiunt molestiam ab embryone grandiore, quantam experiuntur à mola vel foetu mortuo longè minori.

§. 29. Morsus autem uti ab alijs humoribus acribus, in uterum effusis, nascitur, ita tum maximè naturam stimulat, quando per putredinem resolutus in saniem quasi del

quesc

quiescit mortuus embryo. Fortassis & hoc ex pacto fluo-
 albus in subjectis scorbuticis causam præbet abortui, quod
 affluens acrimonia omninò inquietum reddat uterum.

§. 30. Atque hi modi sunt, quibus immediatè uterus ad
 abortum irritatur, & quidem causâ hærente in ejusdem
 cavo. Non aberrabit tamen à vero, qui jam enarratis ad-
 dere motus embryonis nimios & præternaturales velit.
 Quotusquisque nescit ab ira vel terrore gravidarum sæ-
 pius epilepsiam oriri embryonum? Si tum ab intolerabili
 concussione ac jactatu, placenta uterina à sede sua abrum-
 patur, uterusque reddatur inquietus, jamjam præsto abor-
 tus est.

§. 31. Cæteræ causæ, uterum exterius afficientes sunt vel
 magis externæ, hoc est extra corpus: vel minus tales, i. e.
 extra uterum, ad non extra corpus constitutæ. Magis ex-
 ternæ sunt, quæ abdomen una cum ipso utero feriunt, uti
 casus, ictus, compressio nimia, oneris gravioris gestatio &c.

§. 32. Ad magis externas pertinet quoque odor fœmi-
 nis infensus, unde hysterica passiones excitari solent. Itaque
 Ambra, Moschus, Zibethum & fragrantiora multis nociva:
 alijs castoreum, odor extinctæ candelæ ac fœtentia quævis.
 Quo nomine *Camphora* quoque notatur à *Borello Cent. 2.*
observ. 98.

§. 33. Sed minus externæ sunt, quæ extra uterum hærent
 in partibus vicinis, eundem tamen in consensum rapiunt.
 Ita enim à calculo vesicæ vel renum non rarò natum ab-
 ortum testantur Medicorum observationes: similiter ab
 vi vel obstructione nimia vel fluxu; præsertim si Dysen-
 ria vel Tenesmus accadat.

§. 34. Idem valent ferina tussis vomitusque difficiles. Et quamvis gravidarum non paucæ quotidiano ferè vomitu satis vexentur sine damno embryonis; non tamen adducor, ut emetica gravidis proficua, ne dicam tuta, credam. Etenim à Pharmaco magis impetuosus imò & inanis interdum sequitur conatus: quæ verò sua sponte accidunt vomitiones, plerumque facillimæ sunt.

§. 35. Saltem duplex à sumto Vomitorio vel purgante fortiori periculum imminet. Ratione matris scilicet, metuendum ne mensium fluxus concitetur intempestivus, quod ab istiusmodi medicamenti fieri non raro solet; item ne alimentum subducatur Embryoni, neve uterus irritetur. Ratione autem foetus, præsentissimum erit damnum, si facultas medicamenti purgans, ad massam sanguineam delata, ipsum corpus tenerrimum aggrediatur. Et quemadmodum in nutrice lac quoque catharticum redditur à sumto pharmaco, quid obstat, simile quid ad placentam uterinam, foetumque transire?

§. 36. Verum jam satis dictum de causis abortus, pergo ad signa ejusdem. Non autem necessum erit, pluribus differere de Abortu jam facto; quis enim foetum immaturum non distingvat à perfecto? Potius de imminente Abortu judicandum est accuratius, ne perdat, quod ullâ ratione servari potest.

§. 37. Suntque instantis Abortus signa juxta Hippocratis Sect. 5. Aph. 37. *mammæ subito flaccescentes*. Cujus rationem qui desiderat, aliam forte non impetrabit à me, quam quod infirmitas totius in foeminis hinc appareat, non aliter atque in viris ex genitalium langvore; id quod ani-

culæ cum cura observant in pueris aegrotantibus, malum, scilicet omen est, si scrotum deprehendatur flaccidum: Nimirum vanæ sunt, quas inter uterum mammæque vasorum anastomoses ad declarandam harum partium sympathiam fingunt. Quid enim opus est, ut ad occultam vel potius imaginariam confugiamus causam, cum ex doctrina spirituum sine difficultate hujusmodi consensus demonstrari queat.

§. 38. Certiora magisque propinqua signa præbet dorsi acutus dolor & abdominis, versus pudenda descendens, qualis aliàs in fluxu mensium scorbuticis quibusdam accidit. Quod si conatus egerendi supervenerit, qui parturientibus est proprius, abortus jamjam imminet, præsertim si venter insinul descendat, situ scilicet foetus, ad egressum sese inclinantis, mutato.

§. 39. Interea disruptis membranis effluit ex utero aqua, & si placenta quodammodo divulgata fuerit ab utero, sanguis plus minus copiosus. Equidem sciendum est, ex hæmorrhagia sola non prædici abortum tutò; quid, si enim in plethoricis natura sese levare ab onere abundantis sanguinis velit? Si verò cætera concurrant, periculum inde imminens non vani auguramur.

§. 40. Sed pessimum est, si quæ prodeunt, foetida sint ætiosa, quoniam hoc ipso satis apparet, embryonem aliquandiu mortuum putridumque jamjam existere. Id verò, quemadmodum nullam spem servandæ prolis superesse sit, ita etiam matri damnosum est ut plurimum.

§. 41. In genere quidem Abortus omnis foeminæ magis periculosus est, quam partus legitimus, scilicet propter

concurrentem abortus præternaturalem causam ; Ita enim observamus sponte suâ decidere fructus maturos & , dehiscentibus siliqvis antea firmiter clausis, effundi semina, quæ ad perfectionem pervenerunt debitam : cum ante maturitatem sine violentia quâdam vix decerpi aut erui queant.

§. 42. Speciatim, si foetus fuerit extinctus , hic difficilius partu vivo existit , quod inter pariendum embryo motum nec situm sibi commodum ad egrediendum querat, nec uterum excitet juvetque suo motu. Ast longè peior metuendus est status, si foetus computruit : quo enim diutius gestatur, eò magis quoque uterum corrumpit, ne dicam , universum corporis habitum. Hinc enim aut morbos graviores , aut saltem sterilitatem ortam fuisse , quotidiana loquitur experientia.

§. 43. Quod tandem Curam attinet ; ea potissimum præservatoria est, cum cavendum sit omnibus modis , ne abortus fiat , id quod non aliter fieri potest, quam si respiciamus ad causas. Quapropter si defectus adsit spirituum, gravisque viribus destituatur , conveniunt Analeptica, spirituosâ & aromatica ; quo nomine usitatisimus est *balsamus Embryonum*, cochleatim sumtus, aut saltem externè cum pane mellito aromatibusque varijs applicatus ventri. Eundem in finem præscribitur *Confectio Alkermes*, sed incompleta, quoniam Ambraë , Moschiqve usum non paucæ reformidant.

§. 44. Dubito autem , an tanta sit virtus granorum Kermes, in se spectatorum, vel, quod *Hæfero in Herc. Med. l. 7. c. 3. p. 398.* placet, serico Kermesino, si ad scrupulum detur

tur minutim incisum. Nihilo meliora sunt ovorum germina sive gallaturæ, à mulierculis ad superstitionem usque æstumatissimæ; siquidem nec spiritus hoc pacto corroborantur commodè, nec tanta est gallaturæ præ ovo reliquo prærogativa.

§. 45. Dubio procul ex eodem fundamento, ut spiritus vitales gravidæ restituantur, à *D. Michaele in Pr. Clin. p. 273.* commendatur Cor pulli è vivo extractum & adhuc palpitans; cui sane tantam facultatem tribuit, ut & tunc temporis convenire queat, quando jamjam sanguis imminente abortu ex utero stillat. Sed fides sit penes Autorem.

§. 46. De vino interim quæritur, quid sentiendum, cum non pauci cum *Hartmanno in Pr. Chym.* Malvaticum quidem concedant gravidis, reliquum omninò prohibeant? Respondeo, rectè quidem vinum denegari, & quidem, quodcunque, si abortu instante hæmorrhagia jam adsit, si calor febrilis aut alia concurrant, quæ vini usum dissvadere possint. De cætero *vinum omne, generosius potissimum,* non minus quam balsamus embryonum, *aqua vitæ mulierum* & reliqua spirituosæ vel aromatica confortativa erunt admodum laudabilia, si ex summa virium prostratione, v. g. ab inedia similibusque ex causis abortum metuamus.

§. 47. Par erit medendi ratio, si à terrore spiritus conternati fuerint; nam & *spiritus liliorum convallium*, *aqua antapoplectica omnes*, *aqua contra terrorem Schröderi*, & quicquid contra terrorem aliàs exhiberi solet, optima sunt, nisi à superveniente vel æstu vel hæmorrhagia itidem

dem prohibeantur: Tum enim egregius erit succus ascorum, summe laudatus ab *Hartmanno cit. loc.*

§. 48. Contra, si ab ira spiritus omnisque Massa Sanguinea commoveantur & aestuent, profunt refrigerantia cum hypnoticis, sed temperata. Præ cæteris hic arridet *Emulsio seminum frigidorum & papaveris albi cum julepo violarum*: item *specificum cephalicum Michaelis & Cinabarina similia*, cum opiatorum modico.

§. 49. In sanguinis abundantia Venæsectio locum habet. Quamquam enim nostratum consuetudo, juxtaquam gravidis in genere circa medium gestationis tempus venam secari jubent, approbati penitus non possit, cum in subjectis minus sanguineis, præsertim si mittatur largius, abortus provocetur, juxta *Hippoc. l. s. aphor. 31.* Nihilominus si constet, foeminam esse plethoricam, adhibeatur V. S. securè i. e. partitis vicibus. Nam & ad hunc modum liberatæ sunt ab abortu futuro, quæ antea aliquoties propter plethoram abortum fecerunt, cum crebrius reiteraretur V. S. vid. *Panaroll. Pent. 1. Obs. 10. River. Cent. 1. Obs. 53. Bernb. Verzasche Cent. 1. Obs. 82. Corn. Stalpartij van der Wiel. Cent. Pr. Obs. 65.*

§. 50. Si verò ab Hamorrhagia sanguinis defectus metuendus sit, adstringentia dentur, quem in finem *Bistorta ac Tormentille radix, semen plantaginis, sanguis draconis, hematites* & similia hinc inde commendantur, omnibus palam præripiunt *corallia rubr. preparata.* Frustraneus autem aut nocivus magis eorum usus erit, si foetus fuerit mortuus, aut si placenta omnino divulsa est ab utero; tum enim nulla spes retinendæ prolis supererit.

§. 51. InCacochymicis potissimum ad vitia primarum viarum respiciendum est. Peccante acido, quod in primis utero inimicum, dentur absorbentia five præcipitantia sic dicta, *Corallia, Mater perlarum, Ebur, lapides cancerum, &c.* Hic enim usus est terreorum genuinus adversus abortum. An verò tanta sit utilitas hinc desumptorum, amuletorum, siætites s. *Lapis Aquile*, vel *Magnes*, *lapis stellatus*, vel qui reperitur in vulva, corde, aut intestinis cervarum, è collo suspensus gestetur, dubito magnopere. Meo quidem iudicio aut nihil valent, aut si quid præstant, operantur saltem phantasticà impressione, hoc est, molliiores foeminas erigendo, dum scilicet his confisæ præsidij, nihil timent, magisque præsentis animo, quicquid forte obviam venerit, eludunt.

§. 52. Habent autem modicè laxantia, *folia sennæ* puta & *rhabarbarum cum cremore* & hic quoque laudabilem usum in Cacochymia, si biliosa & pituitosa cruditas gravidis infensa sit. Tantum enim abest, ab his lædi prægnantes, ut potius pessima quævis symptomata sc. inappetitiam, vomitus atq; sodam, agrypniam cum æstu nocturno, palpitationes cordis ac Cephalalgiam ab ejusmodi laxantium usu legitimo mirabiliter sæpiusque sublata viderit. *Dn. D. Rivinus*, meus in Arte Medica Præceptor fidelissimus.

§. 53. Quod si porro suspicio adsit concurrentis molæ, quæ tamen admodum incerta erit, naturæ totum committendum est negotium; siquidem nulla excogitari possunt remedia molam expellentia foetumque simul custodientia. Interim probe observandum, ne naturam impediamus, si quando conatu laudabili ejicere molam velit,

in ijs scilicet, quæ gravida per errorem putantur. Nimirum si mola fuerit sola, juvandus potius naturæ conatus est, ut cruatur lolium. Si vero mola cum foetu accrescat, satius est expectare messem, seu legitimam partus horam, ne eum lolio perdatur triticum, quod obiter addimus (licet ad Dissertationem nostram strictè non pertineat) uti etiam subsequentes theses.

§. 54. Sed foetus mortuus, quid impedit, quo minus ejiciatur ? Cautione tamen opus est, ne pro mortuo habeatur, qui saltem debilior existit. Videlicet experientia testatur, eadem signa, quæ foetum mortuum indicant, non nunquam in gravidis deprehendi, foetu superstite. Fieri hinc potest, ut horror parturientem invadat, dum inter sudandum refrigeratur, similibusque ex causis. Si tum per aliquot dies non moveatur foetus langvidior, prægnansque malè se habeat, nemo est, qui embryonem non statuat mortuum, sed perperam; vidimus enim non semel eundem postea vivum prodijisse.

§. 55. Itaque nisi jamjam putrida ex utero effluant, sat certi de interitu foetus esse non possumus. Hic verò de mum salvà conscientia foetum pellentia fortiora v.g. *oleum succini atque sabinae, camphora, castoreum* & similia exhibere licet, nempe si embryo in situ ad egressum commodo constituitur. Sin minus, tandem ad auxilium deveniamus Chyrurgicum, extrahendo foetum, etiam in partes divisum ubi integer educi nequit.

§. 56. Solet autem embryonis putredo plerumque matrem inficere, ut supra dictum; atque ideò peculiarem hoc in casu præ reliquis puerperis curam requirit foemina.

Danc

Danda nimirum opera est, ut repurgetur uterus per convenientia balsamica, putredini resistentia & antifebrilia: erunt igitur maximè appropriata remedia, *lapides cancrorū flores sulphuris, & diaph. 7, Antibeeticum Poterij, & ex regno vegetabili carduus benedictus, artemisia, petroselinum, Aristolochia, myrrha, crocus & similia.*

§. 57. Hæc potiora sunt, quæ circa curam abortus monenda duxi. Plura superaddi possent, præcipue causas externas concernentia; sed cum nulla fermè his difficultas insit, lubens eadem præterire malui, brevitatis studio. Ecquis non intelligit remedia non tam uterina, quam omnis generis adstringentia, stomachica, becchica, imò & anodyna requiri? quando per consensum cum alijs partibus abortus imminet.

§. 38. Nec denique necessarium arbitror, prolixè hic præterire methodum tractandi foeminas, postquam abortum iam fecerunt; non enim aliter tunc temporis considerari possunt, quam puerperæ, unde parem quoque postulant Medicinam. Diatam brevitatis causâ omittimus; poterit tamen secundum causas ex remotioribus non-naturales, symptoma nostrum inducentes & superiùs recensitas adornari atque institui, ne immoderatus rerum non-naturalium usus magis magisque noceat atque acceleret abortum.



Ad Experientissimum Dn. Doctorandum πρὸς Φαίνοισ.

Sæpius in campis interqve nitentia culta
 infelix lolium & steriles dominantur avenæ,
 Ut canit egregiè facundi vena Maronis:
 Non tamen intendit Latialis Homerus avenam
 frugiferam & φέρων, qvi pabula grata caballis
 præbet, & humanam pariter concurrit ad escam:
 Non: zizania ibi vel inutilis herba * notatur.
 Talis avena *tuum modium* non implet, AMICE,
 quæ sit iners & inanis: eam *metiris* avenam,
 Doctorum tenero quæ grata futura palato:
 Id præclara docent conamina, Phoebus honore
 quæ pensare novò meditatur: plura sequentur
 munera: *Sic modius multam Tibi promet avenam,*
 excipietqve tuam sementem messis opima.

* Æglops i. e. wilder oder tauber Haber.

αυτοξεδ.

D. GEORGIUS CHRISTOPHORUS PETRI ab Hartenfels,
 Sacri Pal. Cæs. Comes, Archiat. Electoral. Mog.
 Fac. Med. Assessor p. t. Academiae RECTOR.

Nobiliss. atqve Clarissimum

DN. DOCTORANDUM,

GEORGIUM CHRISTOPHO-
 RUM **Habermas** /

Præticum in Patria felicissimum, feliciter pro LICENTIA
 disputantem, gratulabundus ita alloquitur
 PRÆSES.

Imbellis Sexus ponis succurrere morbo:
 Pergas! Ex voto sic TIBI crescet honos.

NOBILISSIMO

DOMINO

GEORGIO CHRISTO-
PHORO Habermas /

Practico Leucopetræo

AMICO ac FAULTORI honoratissimo
DE

ABORTU,

Pro

DOCTORIS MEDICI Corona & Gradu
strenuè certanti

animicus hisce gratulatur

HENRICUS CHRISTOPHORUS ALBERTI,

Med. Doct. Facultatis ut & Consilij Secreti

Assessor Extr. Patr. Pract.



HABERMAS laudem reperis, nam condis *avenam*
Quam studium Medicum porrigit atque fovet.

Volvis, non rodis, tot tanta volumina Musæ

Hinc TE sub *modio* non latitare sinunt.

ed potius ductum stimulo TE ad pulpita pellunt,

Ut famam mures rodere sic nequeant.

uffocet Oeconomus murem qui rodit *avenam*.

Felis itemque minax insidietur ei!

ergas & porro tantis incumbere coëptis,

Sic meritæ laudis nullus *Abortus* erit.

Wer

WEr hier auff diesen Rund will Ehr und Ruhm er-
jagen /

Muß nicht im Nebel-Dampf der Wollust müßig
gehn /

Besondern allen Fleiß und Kräfte daran wagen /

So wird Er auch beglückt in höchsten Ehren stehn /

Diß hast Du werther Freund von Kindheit an er-
wogen /

Dein unverdroßner Fleiß ist jedermann bewußt /

Die Wollust hast du nie dem Fleiße vorgezogen /

Die fluge Wissenschaft / das war stets deine Lust.

Drumb wird dein hoher Ruhm auch jetzt schon ein-
verleibet

Der grauen Ewigkeit / in dem der Musen Hand /

Als *Doctorandum* dich in Ihr Register schreibet

Und deinen steten Fleiß macht überall bekant.

So sey beglückt dann in diesem Ehren-Stande

Kein herber Unglücks = Sturm muß auf dich kom-
men zu /

Sey deiner Eltern Freud / Nutz deinem Vaterlande

Leb allezeit vergnügt und in erwünschter Ruh'.

Des Hn. M. von Sacher sämbl.

Tisch-Compagnie.



